

12.
7
DISPUTATIO INAUGURALIS
AD
FAMOSISSIMAM ET
DIFFICILLIMAM
L. Si unquam. 8. Cod. de REVO C A N D.
D O N A T.

Q V A M

Sub præsidio ALTISSIMI
DECRETO ET AUCTORITATE
Nobilissimi & Amplissimi Jctorum Or-
dinis in illustri ac per antiquâ Rau-
racorum Universitate

Pro summis in U T R O Q. JURE privile-
giis, honoribus & dignitatibus Docto-
ralibus legitime obtinendis

Publicæ disquisitioni proponit

102 B
JOANNES GRASELIUS
NORIMBERG.

Ad diem Februar. Anno M D C XXIX.
Horis locoq₃ solitis.



BASILEÆ,
Typis JOAN. JACOBI GENATHI.

UNIVERSITÄT WÜRZBURG
AD

JANUARI 1811
DIESELBEN

I. Professor der
Donat

Subjekt der
Dissertation

Die
Geschichte

der
Katholischen

Religion

in
den

letzten
Jahren

des
18ten

und
19ten

Jahrhundert

von
Johann

Basil
v. Mevius

Wurzburg
1811

105
2





IN NOMINE
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,
ad omnia consilia, omnesq; actus nostros sem-
per progredimur. *l. 2. in pr. C. de off. pref.
pret. Africa.*

DISPUTATIO
*Ad l. Si unquam. Cod. de REVOCAND.
DONAT.*

De ordine Legis explicandæ.

SI verba LEGIS ad numerum revocentur, sanè
brevis est, & conveniens LUCII SENECAE
sententia; qui LEGEM ait brevem esse oportere,
quò facilius ab imperitis teneatur. Sed si qua-
stionum varietas spectetur, proluxa: si scribentium concer-
tatio, celebris: si disputantium acumen, subtilis: si forensis
usus, quotidianus: si definitio sive decisio, singularis in Jure
censeri debet. Ne igitur perturbata sit ac confusa ejus in-
terpretatio, breviter & cōmodè in tres partes distribui po-
terit. In quarum prima de AUCTORE LEGIS; in se-
cunda de SPECIE & RATIONE sive CAUSA LE-
GIS; in tertia & postrema de JURE & EFFECTU RE-
VOCATIONIS tam accuratè differemus, ut nihil diffi-
cultatis vel obscuritatis residuum sit futurum.

THESIS I.

INSCRIPTIO, quæ habetur in CODICE JUSTINIANO, *De Autore
Legis pars
prima.*
facit Hujus LEGIS autores CONSTANTINUM patrem
& CONSTANTIIUM filium IMPP. scribentes ad ORPHITUM

præfectum-præt. Sed ea, quæ habetur in Codice THEODO-
SIANO *lib.8.de Revocand.donar.* rectius facit CONSTANTIUM
& CONSTANTEM fratres, scribentes ad ORPHITUM præfe-
ctum Urbi. Nam ORPHITUS ibi non præfectus-præt., sed li-
teris singularibus P. V. designatur: & reverà præfectum Urbi
fuisse duntaxat ORPHITUM tempore CONSTANTII
IMP. probari potest ex *Ammiano Marcellino*, qui *lib.14. rerum ge-
star.* de eo sic scribit. Inter hæc ORPHITUS præfecti potestate
regebat Urbem æternam, ultra modum delatæ dignitatis sese
efferens insolenter. Vir quidem prudens & forensium negotio-
rum oppidò gnarus; sed splendore liberalium doctrinarum mi-
nùs, quàm nobilem decebat, institutus. Ex antè dictis patet,
CONSTANTIUM & CONSTANTEM IMPP. esse nostræ LE-
GIS Autores sive Conditores.

II.

*Pars secun-
da hujus
Legis.*

Nunc porrò videndum est, quæ sit ratio sive causa movens,
quæ dictos PRINCIPES impulit, ut HANC LEGEM promul-
garent, & Lege promulgatâ beneficium Revocandæ donatio-
nis concederent: quæ ratio ut magis inclarescat, species impri-
mis formanda est hoc modo. Titius patronus orbis & liberis
carens, omnia sua bona, vel aliquam eorum partem donavit li-
bertis, deindè post donationem ritè perfectam exinsperatò sus-
cepit liberos: quæritur, an donationem revocare possit? Ratio
dubitandi est, quòd donatio simplex & absoluta fiat ex mente,
ne revocetur aut recipiatur. *l.1. ff. de donat. l.1. ff. de precar.* Respon-
dent nihilominùs & rescribunt IMPP. revocari posse, sive to-
tum, quod largitus est patronus, in suam ditionem & arbi-
trium reverti.

III.

Ratio hujus responsi sive decisionis petenda est à conjecturâ
pietatis paternæ; ut in specie non multùm dissimili respondit
olim Vir excelsi ingenii Papinianus *in l. cum avus. 102. ff. de condit.
& demonstr.* & exemplo Papin. ipse IMPERATOR JUSTIN. *in
l. cum acutissimi. 30. C. de fideicommiss. & l. generaliter. 6. C. de institut.
& substitut.* quibus cautum est, quòd si quis filium nepotemve
heredem instituerit, ac jusserit illum post mortem ipsius alteri
restituere, hoc ita videtur intelligere conjecturâ pietatis, si filius
ipse

338
ipse aut nepos institutus liberos non reliquerit, ne videatur
alienas successiones propriis anteponere.

I V.

Quod in alio non minus memorando casu traditur *in l. ex fa-
cto. 43. in princ. ff. de vulg. & pupill. substitut.* ubi, qui filium impube-
rem mutum habebat, impetravit à Principe, ut mutuo substi-
tuere ei liceret, & Titium substituit: mutus autem filius recu-
peratâ valetudine, post mortem patris uxorem duxit, ex eaque
filium suscepit, rumpitur ea substitutio nativitate filii. Nec
enim verisimile est, aut patrem, qui impetravit, aut PRINCI-
PEM, qui promisit, de hoc casu cogitâsse, ut eum, qui postea na-
sceretur, exheredaret. & *in l. 3. C. de inoffic. testam.* ubi, si quis post
conditum testamentum filium susceperit, nec ei testamentum
mutare licuerit morte inopinatâ prævento, intelligitur postre-
mum filium cum cæteris ante testamentum natis pro virili in-
stituisse, quam Legem singularem dicit Bald.

V.

Hûc quoque respexit textus *in l. sicut certi. 9. & in l. si cum vel in
utero. 10. C. de test. milit.* ubi præteritio filii posthumi, vel jam nati
scienter à milite facta pro exheredatione est, ideoq; valet
testamentum. At si ignoranter facta fuerit, quoniam filium
mortuum falso rumore putabat, aut etiam uxorem prægnan-
tem esse nesciebat, minimè valet testamentum, tanquam veri-
simile sit, non alios eum instituisse, quàm liberos, si eos habe-
re, aut habiturum se fuisse cogitâset. Cæterum pulchrè quoq;
scribitur *in l. tale pactum. 40. §. ult. ff. de pact.* Quod si pater dotans
filiam, quam unicam habebat, pactus sit, dotem fratri suo,
quem heredem sibi destinaverat, restitui; si sine liberis mulier
moreretur, & ipsa postea liberos suscipiat, dos illis, non fratri
ex mente patris restituenda est. Ex quo manifestè adparet, præ-
sumi hominis mutatum consilium propter liberos postea sus-
ceptos. Nam filios ad parentum bona, naturæ simul & paren-
tum ipsorû votum admittit: *l. 7. in fin. ff. unde liberi.* & omnia, quæ
nostra sunt, liberis nostris paramus.

V I.

Idcirco ex naturali parentum in sobolem suam affectione

conjiciunt Legislatores, ac præsumunt, non fuisse patrem bona sua donaturum aliis, si sperasset liberos. Quapropter merito laudatur HADRIANUS Imp. qui, ut tradit SPARTIANUS, ignotorum hereditates repudiavit, nec notorum accepit, si haberent liberos. Et DOMITIANUS, alioquin pessimus IMPERATOR, relictas sibi hereditates ab his, quibus liberi erant, non recepit, ut de eo refert *Latherus in tract. de Censu*. Hinc dicunt plerique omnes, quòd donatio ab eo facta, qui nullos liberos habet, intelligitur tacitam hanc conditionem habere adjectam, SI DONANS NON SUSCEPERIT LIBEROS: vel ut revocetur, si donans postea liberos susceperit, & propterea si aliquos suscipiat existente conditione, revocatur donatio ex HAC LEGE nostra.

VII.

Hinc patet, causam, quæ movit Imperatores, esse conjecturam paternæ pietatis. Attamen sæpè quæsitum est à DOCTISSIMIS JURECONSULTIS, tam in foro, quàm in scholis, An Hujusce LEGIS species aliis etiam donatoribus, quàm patronis accommodanda sit; sive, An ad alios quoscunque donatores & donatarios producenda? Quod ajunt multi, multi negant. Verùm eorum sententia nobis magis probatur, qui propter eandem pietatis rationem & conjecturam, ad omnes alios, hanc nostræ LEGIS speciem porrigendam asseverant. Tùm, quia naturalis æquitas pluribus in causis varia jura desiderat, ut eleganter ait *Tullius in Top. ad Trebon.* aut ubi eadem est ratio, idem quoque jus statuendum. *l. illud. 32. ff. ad L. Aquil.* Tùm, quia nò omnes articuli singillatim legibus comprehendi possunt: & ideò quoties unum vel alterum lege introductum est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, possunt vel interpretatione prudentum, vel jurisdictione Magistratum suppleri. *l. non possunt. 12. & seq. ff. de ll.*

IX.

Sed opinionis contrariæ defensores negant, rationem omnem hujus LEGIS positam esse in ratione & conjecturâ pietatis, & consequenter negant, LEGEM extra suam speciem ad alias esse trahendam. Igitur quædam illorum argumenta præcipua hîc in aciem producenda & profliganda sunt.

IX. Pri-

IX.

Primum est, quòd **L E X** nostra tantum loquatur de patrono, qui donavit libertis, & per consequens rationem Legis esse petendam ab arctâ illâ conjunctione & obligatione, quæ est inter patronum & libertum: sive à magnitudine beneficiorum, quæ patronus libertis suis contulit; non modò vitam, sed & vitâ jucundiorẽ libertatem tribuens, eaq; de causa Legislatores antiquos constituisse, ut persona patroni liberto esset sancta, & patronum ab intestato haberent successorem: ut in fraudem quoque nihil alienare posset, ut reverentiam & obsequium exhiberet, ut indigenti vitæ necessaria præberet. Hinc dicunt legi, libertos **I M P E R A T O R U M** ad tantum divitiarum cumulum & honorum fastigium à patronis evectos, ut cæteros omnes facilè post **I M P E R A T O R E S** ipsos superarent. Cujus rei exempla plurima nobis suppeditârunt *Sueton. & Tacitus. Plinius autem lib. 33. c. 10. tradit, tres CLAUDII libertos, PALLANTEM, CALLISTUM & NARCISSUM opulentiores CRASSO fuisse QUIRITUM post Syllam ditissimo.*

X.

Et eandem ob causam **I M P E R A T O R E S** in **H A C L E G E** absurdum judicâsse & iniquum, si liberti perfectæ donationis viribus freti, summo jure cum patrono vellent agere, & patroni liberos postea susceptos ad inopiam redactos videre. Quæ ratio cum sit peculiaris in patrono & libertis, nec in aliis donatoribus & donatariis reperitur, ad alios quoque **H A N C L E G E M** non esse producendam. Verum respondendum est, hanc rationem sive causam esse quidem peculiarem; sed ab **I M P E R A T O R E** in hac **L E G E** nostrâ non reddi, sed reddi sive proponi causam generalem, quæ sumitur à pietate, his verbis: **P O S T E A S U S C E P I T L I B E R O S**. Præsumitur enim pater erga liberos postea susceptos ita pius, ut ipsis, quàm libertis, provisum malit. Nec obstat, quòd **L E X** tantum loquatur de patrono & libertis, quoniam ex facto contigit, ut quæstio talis **I M P E R A T O R I B U S** proponeretur, quemadmodum in compluribus aliis Codicis Justiniani legibus; sed hanc responsionem Adversarii concoquere non possunt, ideoq; solliciti eam sic enervare conantur.

X I. Se-

XI.

Secundum igitur illorum argumentum negat, quæstionem ex facto natam ab Impp. fuisse propositam, & rationem negationis suæ hanc reddunt: quòd HÆC LEX non dirigatur ad patronum aliquem singularem, de donatione revocandâ sollicitum; sed ad ORPHITUM p.p. Cujusmodi leges ex PRINCIPIS autoritate spontaneâ generales sunt, ac proindè si PRINCIPES ad omnes alios donatores & donatarios LEGEM pertinere voluissent, hoc sine dubio verbis manifestis & apertis expressissent: cum itaque hoc statuunt de patronis, de aliis cogitatum esse noluerunt. Huic argumento responderi potest dupliciter. Primò falsum esse, quòd HÆC LEX scripta sit ad præfectum-præt., quia nos superiùs ad ORPHITUM præfectum Urbi, non à CONSTANTINO; sed à liberis ejus CONSTANTIO & CONSTANTE missam esse, tam ex *Codice Theodosiano*, quàm ex *Ammiano Marcellino* demonstravimus. Secundò responderi potest, non tantùm privatos litigatores consulere solitos IMPERATORES; sed etiam Magistratus ipsos ad PRINCIPEM referre consuevisse; præsertim causas dubias & nondum jure decisas, ut, quid imposterum in similibus controversiis servare deberent, IMPERATOR ipsis præfiniret: quâ de re *Cujac. in paratit. Cod. de Relat.* Nec tantùm Magistratus inferiores; sed ipse etiam Judex sæpè relationes ad Principem faciebat de litibus privatorum, ut constat ex *Novell. 162.* ubi DOMINICUS propter tres hominum privatorum controversias definiendas refert. Consimiliter ORPHITUS Urbi præfectus, cum hæc de patrono & libertis in auditorio suo controversia moveretur, ad IMPERATORES eam retulit, ut quæ nondum erat decisa Legibus, hac Constitutione decideretur.

XII.

Tertium argumentum conficitur hoc modo. Qui simpliciter & absolutè donat, illum potiùs, nempe donatarium, quàm se ipsum habere mavult. *l. Senatus. 35. §. 1. ff. de mort. caus. donat.* Ergo etiã mavult habere donatarium, quàm liberos suos postea natos: tum, quia pater & filius pro eadem personâ habentur; *l. ult. C. de impub. & al. substitut.* tum, quia caritatis ordo non patitur, ut
quis

340.3

quis liberos suos magis, quàm se- ipsum diligit. Sed respon-
dendum est: patrem quidem & filium pro una persona haberi,
sed fictione juris Civilis tantum, non etiam jure naturali, quod
hic magis inspiciendum est. Nam hoc jure reverà sunt duæ per-
sonæ: quo fit, ut etiam filius patri possit naturaliter obligari, &
contrà pater à filio, & filius à patre naturaliter alimenta postu-
lare queat. l. 4. & 5 ff. de agnosc. lib. Nec semper verum est, paren-
tes se- ipsos magis quàm liberos diligere, arg. l. isti quidem. 8. §.
ult. & ibi Accurs. ff. quod met. caus. Unde eleganter Tertullianus, Quis
non magis filiorum salutem, quàm suam curet? Et licet perpe-
tuò verum esset, ut secundum ordinem caritatis quis se- ipsum,
personam suam ac vitam magis, quàm liberorum diligeret; ta-
men non est perpetuò verum, quòd bona fortunæ sibi retinere
& habere malit, quàm liberis suis conferre, alioqui pater nihil
unquam liberis donaret, quod est planè falsum & absurdum.
Denique, si procederet argumentum hoc, retorqueri possit ad-
versus eos ipsos; nam ex eo sequeretur, quòd donator magis
diligere donatarium, quàm se- ipsum, quod, uti ipsi fatentur,
ordo caritatis non patitur.

XIII.

Quartum illorum argumentum sumitur ex *can. fin. cap. 17. q. 4.*
in quo *D. Augustinus* refert speciem de eo, qui cum liberos non
haberet, nec speraret, omnes res suas donavit ECCLESIAE
CARTHAGINENSI, quas AURELIUS EPISCOPUS liberis
postea natis ei reddidit, cum jure fori reddere nõ teneretur: jure
fori, i. e. jure fori Cæsarei vel secularis & externi; & per conse-
quens neq; jure Hujusce Legis à CÆSARIBUS promul-
gatæ. Unde concludunt, HANC LEGEM ad solos patronos, nõ
etiam ad alios donatores pertinere. Respondent nonnullæ Le-
ges Impp., Ecclesiam & Ecclesiasticos nõ posse litigare, quan-
doquidè alia est potestas & jurisdictio Principum secularium,
alia Præfulum & Pontificum Ecclesiasticorum. *cap. novit. 13. X. de*
judiciis. & cap. per venerabilem. 13. X. qui fil. sint leg. Sed hæc respon-
sio nullius est momenti: quia primis Ecclesiæ temporibus
Clerici & Ecclesiastici, tam in civilibus, quàm in criminalibus
negotiis litigabant ac conveniri poterant apud Judices & Ma-
gistratus civiles, etiam sub IMPP. Christianis, non apud Præla-

B

tos suos & Episcopos, qui tunc temporis nondum juris dictionem distinctam & forum legibus habebant, ut accuratè docet *Cujac. ad tit. Cod. de Episcop. audient.*

XIV.

Respondet igitur alio modo *Cujac. in posthum. ad hunc tit.* nempe **CARTHAGINENSEM EPISCOPUM AURELIUM** non potuisse cogi jure fori legibusq; civilibus ad restituendam donationem, eò quòd **HÆC LEX SI UNQUAM.** illo tempore nondum lata fuerat: quæ certè responsio multò minùs subsistere potest; quia, si fastos consulares inspiciamus, & calculum temporis diligenter subducamus, satis notum erit, **HANC LEGEM** fuisse latam *anno 355.* & **AURELIUM** renunciatum fuisse **ECCLESIAE CARTHAGINENSIS EPISCOPUM** *anno 391.* ut ex *Epistolâ D. Augustini* ad eundem planum est. Veriùs itaque responderetur, **AURELIUM EPISCOPUM** jure fori **CIVILIS & LEGIS SI UNQUAM.** non fuisse obligatum ad reddendam bonorum omnium donationem Ecclesiae factam: quia pater ipse, qui donaverat, & postea liberos susceperat, non movebat actionem de revocanda donatione; sed taciturnitate & silentio suo indicabat se nolle revocare.

XV.

Proinde cum pater, cui jus revocandi competeat ex **HÆC LEGE SI UNQUAM.** beneficio legis uti noller, certè non tenebatur **EPISCOPUS** reddere donationem jure fori: quandoquidem ab eo, qui solus revocare poterat, in jus & forum non vocaretur: quòd autè pater in voluntate donandi perseveraverit, nec res à se donatas **HUJUS LEGIS** auxilio revocare voluerit, patet tum ex iis verbis; **NATI SUNT EI FILII POSTEA: tum ex istis; REDDIDIT EPISCOPUS ETIAM NEC OPINANTI.** Nam si revocare voluisset pater, non expectasset, quousque duo vel plures filii fuissent ei nati; sed statim post primum filium susceptum actionem instituisset. Deinde, si de revocando cogitasset, non rectè diceretur in canone, quòd **EPISCOPUS EI NEC OPINANTI,** i. e. nec cogitanti reddidisset: & hanc veram esse opinionem aliis exemplis confirmari potest.

XVI.

Finge, **TITUS** liberaliter donavit **MÆVIO,** qui postea fuit ingra-

341.

ingratus: potest hac de causa **TIRIUS** revocare donationem ob animi ingrati vitium, non revocat tamen, nec actiones movet; sed tacet: hac taciturnitate confirmatur ac rata manet donatio, nec ingratus donatarius eam jure fori reddere tenetur. *Lult. C. h. t.* Idem de aliis beneficiis rescissoriis dici potest: nam si non agant illi, quibus talia beneficia Legis conceduntur, negotia rata manent. Reddidit igitur **EPISCOPUS** in specie dicti canonis, non jure fori Civilis ac potestate **LEGIS SI UNQUAM**. quâ tamen reddere coactus fuisset, si pater agere voluisset; sed reddidit jure Cœli, i. e. pietatis ac justitiæ cœlestis intuitu: cum judicaret æquum esse, reddere potius patri donatori in favorem liberorum, quàm sibi suæq; Ecclesiæ retinere. Quæ cum ita sint, ratum fixumque manet, non modò patronum; sed etiam alium quemcunque donatorem orbem & improlem ob supervenientes postea liberos, omnium bonorum donationem à se factam, **HUJUS LEGIS** beneficio posse revocare: & secundùm has rationes in medium allatas, in supremis Galliæ tribunalibus frequentiore calculo judicari solet.

XVII.

Verùm nunc ad cæteras quæstiones transitum faciemus. Primò igitur quæri potest, Utrùm donans in dubio præsumatur cogitasse de liberis, ut quoque in dubio cesset dispositio **HUJUS LEGIS**, nisi donans probet contrarium; an verò potius præsumatur non cogitasse, & sic contrà locum habeat nostra **LEX**, nisi etiam donatarius probet, donatorem cogitasse? Sed ad hanc quæstionem respondendum est: in dubio magis præsumendum esse, donantem de liberis non cogitasse. *l. Titia Sejo. 87. §. Imperator. ff. de legat. 2.* Nam si aliter diceremus, sequeretur, quòd in dubio nullus, præsertim gignendis liberis idoneus, (cujusmodi penè omnes sunt) posset revocare donationem propter susceptos postea liberos, quod esset nimium restringere **HANC LEGEM**, quæ generaliter loquitur & disponit ob eam causam revocari donationem, ideò etiam generaliter in dubio debet procedere, *l. 3. ff. de offic. præsid.* alioqui vix unquam haberet locum: & licèt quis sit idoneus procreandorum liberorum, sit & natura prona ad desiderandum sperandumque liberos, non tamen propterea cogitat de liberis. Nam hæc simul stant, spe-

rare & desiderare liberos, & tamen de illis non cogitare, ut declarat *Bart. in d. §. Imperator. l. 87. ff. de legat. 2.*

X I I X.

Secundò quæritur: An Hujus LEGIS beneficium non minùs competat donatori partis, quàm omnium bonorum? Respond. non minùs competere. Ratio est, quia LEX nominatim ait: BONA OMNIA, VEL PARTEM ALIQUAM FACULTATUM FUERIT DONATIONE LARGITUS. Partem intellige non dimidiam, ut quidam volunt, eò quòd partis sive partitionis, sive portionis nomen simpliciter positum pro dimidia sumatur, *l. nomen. 164. ff. de V. S.* sed partem etiam dimidiã minorem: Ratio est, quia LEX nostra non simpliciter ait, PARTEM; sed cum adjectione, PARTEM ALIQUAM, i. e. rem aliquam ex omnibus singularem, putà fundum vel domum, *arg. l. generaliter. 6. in fin. C. de institut. & substitut.* ubi etiam legata & fideicommissa rerum specialium & singularium extraneis relicta, in favorem liberorum, ex simili conjectura pietatis irrita declarantur.

X I X.

Et hanc nostram sententiam confirmat quoque *§. praterea. intestatus. Instit. de fideicommiss. hered.* cùm scribitur: Ut hereditatem suam totam, partemve ejus, aut rem aliquam, veluti, fundum, hominem, pecuniam alicui restituat. Et paulò pòst: Potest rogare, ut id rursus alii, aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud restituat. Ex quibus verbis planè intelligitur, post mentionem universitatis, aut partis ipsius, hanc dictionem, ALIQUAM, adjici ad significationem rei cujuspiam particularis. Et *in eod. text. in §. 1. Instit. de societate.* ubi scribitur: Societatem coire solemus, aut totorum bonorum, quam Græci specialiter *κοινωνία* adpellant, aut unius alicujus negotiationis, veluti, mancipiorũ vendendorum emendorumq; , aut olei, vini &c. Excipitur tamen, nisi pars illa tam vilis & exigui pretii foret, ut respectu donatoris & ejus facultatum, donator, etiamsi liberos habuisset, nihilominus eam fuisset donaturus, quod bonus & peritus judex ex variis adjunctis & circumstantiis arbitrari debet.

x x. Ter-

XX.

Tertiò quæritur: Quæ nam donationis species hisce verbis Legis contineatur, cum IMPP. simpliciter dicant: FUERIT DONATIONE LARGITUS. Respond. Illis verbis contineri donationem veram & absolutam, sive liberalitatis causa factam. Nam Largiri apud ICTOS, idem quod liberaliter aliquid erogare sive donare significat. *l. si pignore. 54. §. 1. ff. de furt.* Et ita largitio pro donatione sumitur apud IMPERATORES. *l. res uxoris. 24. C. de donat. int. vir. & uxor.*

XXI.

Quartò quæri potest: An Hujus LEGIS auxilio possit revocari donatio remunerandi causâ facta, quæ ab Interpretibus vulgò Remuneratoria donatio vocatur? Multi negant, eâ ratione, quòd hæc donatio non sit vera & absoluta. *l. 27. ff. de donat.* Contrà multi affirmant, & revocari posse contendunt, inter quos est *Cujac. in observ. c. 5. lib. 20.* Nos distinguendum putamus hoc modo. Vel beneficium sive meritum, cui remuneratio destinatur, æstimari potest, vel non: si possit æstimari, tunc ex hac donatione remunerandi causâ facta, saltèm revocari poterit eatenus, quatenus beneficium sive meritum excedit, non quatenus meritum exæquat. Finge, TITUS mihi donavit rem vel operam in negotiis meis expediendis, quæ æstimatur centum aureis, & nihilominus ei remunerationis ergò donavi vel omnia mea bona, vel partem aliquam mille aureis dignam: ex hac donatione susceptis postea liberis revocari poterunt nongenti. Ratio est, tum, quia in iis aureis nongentis, qui superant meritum seu beneficium, non est remuneratio; sed potius simplex & mera donatio: in reliquis centum est remuneratio; quia facta est ob causam præcedentem: & quod ob causam præteritam, sive vera sit illa causa, sive falsa, datum est, revocari non potest. *l. domus. 52. ff. de condict. indeb.* Et hæc de prima parte distinctionis.

XXII.

Si verò non possit æstimari beneficium sive meritum, cujus intuitu remuneratio facta est, putà, si libertas, vel vita nobis alicujus beneficio data vel servata fuerit, & hujus remunerandi gratiâ donationem factam nullo modo revocari posse verius

existimo, juxta *l. si pater. 34. §. 1. ff. de donation.* ubi *J. Ctus Paulus* ait: irrevocabilem esse donationem, quam quis liberatori suo contulit, cujus labore & operâ, vel à latronibus, vel ab hostibus est ereptus, & rationem hanc addit. Nam quod contemplatione salutis datur, certo modo æstimari non placuit: sive igitur omnia bona, sive partem bonorum in simili casu quis largitus fuerit, non poterit *Hujus Legis* auxilio revocare.

X X I I I.

Quintò non incommodè quæritur: An donatio nuptiarum causâ, sive favore alieni matrimonii facta, possit *Hujus Legis* adminiculo revocari? Finge, *TITIUS* bona sua vel partem aliquam donavit fratri *MÆVIO*, in favorem matrimonii contrahendi cum *SEJA*, quæ sine tali donatione *MÆVIO* non esset nuptura. Post matrimonium contractum vel consummatum *TITIUS* donator uxorem quoque duxit, ac justam prolem ex ea suscepit, quæritur, An *TITIUS* donationem à se factam ob liberos postea susceptos *Hujus Legis* auxilio revocare queat? Si rebus judicatis & *SENATUSCONSULTIS* hæc quæstio terminanda foret, dicendum esset, posse revocari, ut constat multis exemplis, quæ à *Papon. rer. judicat. consarcinatore* proferuntur sub *tit. de donat. lib. 2.* Sed ex legibus & solidis Jurisprudentiæ rationibus respondendum est, non posse, per *l. 1. & l. si donatarius. 9. §. 1. ff. de condict. caus. dat. caus. non seq. l. pen. §. sed & si quis. ff. quod fals. tut. auth. & c.*

X X I V.

Sextò quæritur: Si pater jam liberos habeat unum vel plures, & omnia bona vel partem aliquam extraneo donaverit, & deinde suscipiat alios adhuc liberos postea natos, an donatio revocetur? Quidam volunt posse, quidam negant. Et negantium sententia verior esse videtur. Ratio est, quia in hac specie cessat causa *LEGIS*, i. e. conjectura pietatis paternæ. Nam qui jam liberos habens donat, potest cogitare de liberis, ac proinde si ex pietate paterna magis in liberos, quàm in extraneos sit propensus, certè verisimile non est, quòd magis liberos, quàm extraneos dilexerit, si nihilominus, cum liberos habeat, largiter donaverit, & donatarios alienos propriæ soboli prætulerit. Qui verò liberos non habet, si donat, videtur idcirco donare,

345.
donare, quia liberos non habet, non donaturus utique, ut credibile est, si haberet. Nemo enim in re dubia creditur alienas successiones propriis, extraneos suis liberis velle anteponere. *d.l. cum acutissimi. C. de fideicommissis.* Hæc autem cogitatio facit, ut qui hoc statu donat, intelligatur hac lege donare, ut donatio maneat, si liberi postea ei non nascantur; ex contrario autem, ut si nascantur, redeat. In eo autem, qui liberos habens donat, apparet nullam ejusmodi mentem & cogitationem esse de revocanda donatione, propter eos liberos, quos jam habet. Qui enim liberos se habere sciens donat, hoc ipso aperte declarat, se non prohiberi liberis, quò minus donet, nec velle propter eos revocare donationem, quam illis jam natis maxime confirmat.

X X V.

Satis dictum est de autore & inscriptione LEGIS, satis etiam de ratione & causa LEGIS, itemque de quæstionibus ad LEGEM pertinentibus. Nunc sequitur ultima pars interpretationis, nempe de jure & effectu revocationis, ad quem referuntur hæc ultima Legis verba. QUICQUID LARGITUS FUERIT, REVERTATUR IN EJUSDEM DONATORIS ARBITRIO ET POTESTATE MANSURUM &c. Ex quibus illud imprimis observandum est, quòd donationis revocandæ jus patri donatori, non liberis postea natis cõcedatur: ait enim LEX, IN EJUSDEM DONATORIS ARBITRIO &c. Hoc inquam diligenter observandum est, ut si quærat, num donator liberos nondum habens tempore donationis, renunciare possit Hujus LEGIS beneficio? respondendum sit audacter, posse. Ratio est, quia LEX ait, BONA REVERTI IN ARBITRIUM DONATORIS, i.e. patris, nullam mentionem factam liberorum, quibus etiam adhuc nullum jus in bonis vivi patris quæsitum fuit: tum, quia beneficium revocationis ex HAC LEGE tributum est pietati patris in liberos, cui pietati & affectioni naturali pater non minus derogare potest renunciando, priusquam liberos habeat, quam donando, si jam liberos habens donare velit. Et huic quoque sententiæ subscribit *Cujac. in obs. c. 5. lib. 20.*

De jure & effectu revocationis, pars tertia.

X X V I.

Hæc tamen renunciatio facta à donante ita demum locum habet, nisi donans dolo inductus fuisset ad renunciandum.

Nam

Nam tunc per huiusmodi renunciacionem non censetur cogitasse de liberis, eâ quidem cogitatione, quâ huic renunciacioni consensum præstitisse videatur: quoniam dolus excludit consensum ab ea dispositione, ad quam quis eo dolo fuit inductus. Quòd si dolus non sit sufficienter probatus, sunt tamen conjecturæ, ex quibus dubium fit, an intervenerit nec ne: certè propter ejusmodi dubium, & in ipso dubio præsumemus donantem noluisse præjudicare liberis, ex doctrina *Bart. & aliorum in d. l. Titia Sejo. §. Imperator. ff. de legat. 2.* Hoc insuper non omittendum, quòd hæc renunciatio facta de HAC LEGE, cum sit contra præsumptam mentem donantis, & res non solita fieri, confert cum cæteris indiciis aut conjecturis ad præsumendam fraudem aut dolum. Illud autem generale est, ut renunciatio non noceat, cum in ea fuit deceptus renuncians ab adversario, per *gloss. in l. pacisci contra edictum. ff. de pact.*

X X V I I.

Secundò, ut videl. cogitatio de liberis, aut HUIUS LEGIS renunciatio tollat remedium HUIUS LEGIS, quando pater ita cogitans aut renuncians verisimiliter sperat, suscepturum se liberos; ut quia ipse uxorq; sua sunt juvenes, bonâq; corporis ad gignendum constitutione; secus, si prorsus desperaret, ut quia ipse uxorq; sunt admodum senes, diutiusq; sine liberis in matrimonio permanserunt, aut si quos susceperunt, mortui sunt, nullaq; spes est futurorum; quia fortè uxor est quinquagenaria, ideoq; non amplius, ut creditur, idonea gignendis liberis, per *l. si sterilis. 21. ff. de action. Emt.* contingit tamen præter omnem spem, quòd fit aliquando, ut ex ea ipsa uxore, quam prorsus sterilem, aut viribus ad gignendum effœtam putabat, natus sit ei filius, nihil tale jam à tempore donationis opinanti: neque enim inopinabilia, quæ vocamus, secundum naturam cogitare possumus. Nam & quæ sunt incredibilia, eadem sunt & non cogitabilia: *l. 5. ff. si pars hered. pet.* & quæ non sunt verisimilia, eadem incredibilia reputantur: *l. Mævius. 66. ff. de legat. 2.* nec mens aut cogitatio ad id trahitur, quòd nunquam fit aut rarò: *c. coram. X. de off. deleg.* propterea hoc casu revocabitur donatio propter nativitatem huius filii, non obstante illâ patris cogitatione aut renunciacione, quam ob id magis fecisse videtur;

videtur; quia tunc credebatur, nullos se unquam habiturum liberos, & ita hanc renunciationem fore supervacua & nullius momenti, quam ob aliud quicquam, *arg. l. non solum. 31. ff. de obl. & act.*

XXIX.

Et ita obtinet ratio nostrae LEGIS, quae est, ut aliquoties fuit dictum, quod non praesumitur quis donare, si cogitet de futuris liberis. Nam & hic non ab simili ratione non praesumitur iste desperans de liberis donaturus, aut in donatione huic Legi renunciaturus fuisse, si non sic desperasset de liberis. Est enim quaelibet renunciatio & promissio intelligenda, habere locum, rebus sic stantibus. *l. quod servus. 8. ff. de condict. caus. dat. caus. non seq.* Talis igitur renunciatio interpretanda est secundum statum, in quo tunc erat donator, videlicet in illa desperatione liberorum, propter quam donavit. Ex qua ergo desperatione liberorum ductus fuit ad donandum, eadem quoque & ad renunciandum. Et singulariter notat *Alber. & alii ad l. 1. ff. de condict. indeb.* Quod si solvens indebitum renunciat conditioni indebiti, credens esse debitum, poterit tamen repetere, non obstante huiusmodi renunciatione, quia quo errore solvit, eodem renunciavit: quod & idem ferme voluerunt *Bart. Salycet. & recentiores in l. ult. §. idem quasit. per illum text. ff. eod. tit.*

XXIX.

Septimò non incongruè quaeritur: Utrum necesse sit, ut donans expressè ac nuncupatim HUIUS LEGI, sive revocationi donationis ob futuros liberos renunciaret; an verò sufficiat, ut generaliter omni remedio Legum renunciaret, quibus donatio posset infringi, revocari & retractari? Verum postposita renunciatione generali, dicimus: necessum esse, ut donator expressè ac in specie huic beneficio LEGIS renunciaret; non obstante, quod in contrarium adfertur: non esse recedendum à verborum significatione, quae est, ut verba generalia generaliter intelligantur & operentur, *l. 9. §. ult. ff. de jur. & fact. ignor.* & quod generalis renunciatio sive liberatio trahatur ad omnia, *l. pluribus. 6. ff. de Acceptil.* & propterea dicunt, Bald. salubriter admonere, ut caveant sibi renunciantes à verbis generalibus, ne in promtum ex effuso sermone periculum incidant: generalitas quip-

C

pè verborum periculum sæpè generat, ideò sibi debent impu-
tare generaliter paciscentes, si non cogitaverint, sub verbis
generalibus omnia comprehendi, etiam non cogitata, ut dicit
idem Bald. in *l. tres fratres. ff. de pact. & l. sub pretexto. C. de transact.*

X X X.

Octavò quæritur, quod etiam quærit *Cujac. in obs. c. 5. lib. 20.*
An mortis causâ donatio possit etiam Hujus LEGIS bene-
ficio revocari? Respond. hanc quæstionem esse superfluum,
neq; ad hanc Legem pertinere; cùm donatio causâ mortis ex
sola pœnitentia, quamvis donator nullos liberos susceperit,
revocari possit. *l. qui mortis. 30. ff. de mort. caus. donat.*

X X X I.

Nonò quæritur: Quomodo revocatio donationis fiat, quam
patri ex HAC LEGE competere diximus? Respondendum
est, fieri per actionem condictitiam, sive condictioem causâ
dat. caus. non seq. Ratio est, quoniam ab initio donationi hæc
censetur inesse conditio tacita sive causa, SI POSTEA DO-
NATOR IPSE LIBEROS NON SUSCEPERIT, quæ causa
si non fuerit sequuta, revocari poterit. *l. 3. C. de donat. quæ sub
modo & c.* Nec obstat verbum REVERTATUR, quo mo-
ventur *Accurs. Donell. &* alii quidam, existimantes ipso jure, i. e.
sine factò & operâ hominis actionem proponentis, donatio-
nem ad donatorem reverti, simul atque liberi nati sunt, ita ut
donator statim rei vindicatione tanquam dominus res à se do-
natas reperere queat. Nam verbum Reverti, non solum nec
semper eam significat reversionem, quæ fit suâ sponte, ipso jure
& sine factò hominis; sed eam quoque denotat, quæ fit alicu-
jus industriâ, *l. aded. 7. §. cùm quis. 7. ff. de A. R. D.* quæ fit inquam
auxilio competentis actionis. *l. 3. & 6. C. de pact. int. Emt. & vend.
compos.* Quæ interpretatio confirmari potest etiam hujus tituli
conceptione, qui non proponitur de reversione donationis;
sed de revocandis donationibus, i. e. actione competenti re-
perendis.

X X X I I.

Decimò quæritur non ineleganter: Si post donationem
factam liberi nascantur, ac mox ante patrem intereant ac de-
nascantur, an nihilominus donatio sit revocabilis, an verò per
libe-

3453
liberos præmortuos convalescat ac rata maneat? Respondi-
nihilominus esse revocabilem, sive patri orbaro competere jus
revocandi. Ratio est, quia ex conjectura pietatis in liberos
anteà natos, ex HAC LEGE revocandi jus actioq; ei quæsita
fuit: ideoq; per mortem liberorum mox insequentem, ipsi in-
vito nec potest nec debet jus quæsitum auferri, vel actio dene-
gari. *l. ult. ff. de pact. l. id quod. ii. ff. de Reg. Jur.* Nec obstat si dicatur,
quod vulgò dicitur: Cessante Legis causâ, cessare quoq; Legis
effectum. Respondi. in hac specie non cessare causam Legis, i. e.
conjecturam pietatis paternæ, quia licet suscepti post dona-
tionem liberi millies, si fieri posset, morerentur, semper ta-
men verum est, causam extitisse per nativitatem liberorum
susceptorum, quam revocandi potestatem ex hac Lege semel
acquisivit.

XXXIII.

Tandem undecimò quæri potest: Quòd si donatarius post
nativitatem filii possederit res donatas per tempus ad præscri-
bendum sufficiens; an tunc possit adversus donatorem vel
ejus heredes agentes se tueri exceptione præscriptionis? Di-
cendum est quòd sic.

XXXIV.

Effectus denique donationis est, ut totum, quod fuerat do-
natum, revertatur in arbitrium & potestatem donatoris. To-
tum, i. e. vel tota substantia, vel tota pars, quæ donatario con-
cessa fuerat. Sed quid dicendum de fructibus medii temporis à
donatario perceptis? Resp. eos non revocari, nec restitui. Ra-
tio est, tum, quia LEX nostra tantum juber restitui totum,
quod fuit: Atqui in illo toto non erant fructus postea nati &
percepti. Et licet donatarius perceperit fructus ex re donata,
non tamen eos percepit ut donatos; sed uti proprios ex re pro-
pria collectos. Et quòd fructus non dicantur donati, probat
Ripa ad *l. sancimus. 34. C. de donat.* tum, quia textus in nostra Lege
dicit, REVERTANTUR IN ARBITRIO ET POTESTATE
MANSURA. Ergo loquitur de his rebus donatis, quæ aliquan-
do fuerunt in dominio & arbitrio donatoris; Sed fructus nun-
quam fuerunt in dominio donatoris. Ergo. Idcirco rectè JETUS
ait: fructus ex rebus donatis perceptos in rationem donatio-

nis non computari, *l. in adibus. 9. §. 1. ff. de donat.* quem textum ad hoc elegantem dicit *Bald. in l. ult. col. 2. vers. Item dat. C. de usucap. pro don.* & alius est textus in *l. 12. de donat.* ubi *Gajus* scribit: Cùm de modo donationis quæritur, neque partus nomine, neque fructuum, neque pensionum, neque mercedis ulla donatio videtur esse facta. Et huc benè facit *text. in l. quod his. 83. in pr. ff. de legat. 3.* Deindè, quia donatarius medio tempore fuit bonæ fidei possessor, imò dominus, & per consequens optimo jure fructus suos facit.

X X X V.

Ex his disputatis liquidò constare potest, quænam sit differentia inter revocationem donationis, quæ fit ex HAC LEGE, & inter eam, quæ fit ex *tit. Cod. de inofficios. donat.* Quoniam ex HAC LEGE revocatur donatio sive omnium bonorum, sive partis alicujus tantùm: EX ILLA revocatur donatio solum parentum inofficiosa, urpotè quæ legitimam partem liberis absorbet. EX HAC LEGE revocatur ob conjecturam pietatis in liberos postea susceptos: EX ILLO TITULO revocatur, sive ante, sive post donationem suscepti sint. EX HAC LEGE nostra revocat ipse donator adhuc vivus: EX ILLO TIT. revocant liberi jam mortuo patre. EX HAC LEGE revocatur per conditionem causâ *dat. caus. non seq.* EX ILLO TIT. per querelam inofficiosa, ad exemplum querelæ de *inoff. testam. l. ult. pen. & t. t. C. de inoff. donat.* Ego hîc subsisto,

& relam hujus disputationis IN NOMINE

J E S U finio, sine

quo

Nullus est felix conatus & exitus unquam.








Basel, Diss., 1616/30

(+ 261 2333)

VD 17







12.
7

19. 530.
19

1629

DISPUTATIO INAUGURALIS
AD
FAMOSISSIMAM ET
DIFFICILLIMAM
L. Si unquam. 8. Cod. de REVOCAND.
DONAT.

QVAM

Sub praesidio ALTISSIMI
DECRETO ET AUCTORITATE
Nobilissimi & Amplissimi Jctorum Or-
dinis in illustri ac per antiqua Rau-
racorum Universitate

Pro summis in UTROQUE JURE privile-
giis, honoribus & dignitatibus Docto-
ralibus legitime obtinendis
Publicae disquisitioni proponit

102 B

JOANNES GRASELIUS
NORIMBERG.

Ad diem Februar. Anno MDCXXIX.
Horis locoq₃ solitis.



BASILEAE,
Typis JOAN. JACOBI GENATHI.

